

Ex XII, 25.

DE

E, 14

II n
1651

O T T O N L

M A G N O,

Ex magni WITECHINDI,

QUEM

AUGUSTISSIMUS POLONIARUM REX

A V G V S T V S II.

AUTOREM GENERIS HABUIT,

GLORIOSISSIMA PROSAPIA

ORIUNDO

IMPERATORE ROMANO,

O R A T I O I N A U G U R A L I S,

IN SOLENNI PANEGYRI

ATHENÆI GEDANENSIS,

Die XII. Decembr. M DC XCVII.

habita

à

S A M U E L E S C H E L G U I G I O,

S. Theol. D. & Prof. Publ. itemque Ecclesiæ ad

S.S. Trinit. Pastore.

G E D A N I,

Typis & Impensis JOH. ZACHARIÆ STOLLII,

M DC XCIX.

V I R O
MAGNIFICO, GENEROSO ATQUE
STRENUO,
DN. JOH. ERNESTO
SCHMIEDEN,



REIPUBL. GEDANENSIS PRÆCON-
SULI, CHERSONESI HELENSIS ADMI-
NISTRATORI, atq; AMPLISSIMI SENA-
TUS h. t. PRÆSIDI,

Domino ac Patrono meo gratioso.



P

*Atere quaeso, Vir Summe, ut sub Tuis prodeant
auspiciis, quæ veneratio Majestatis Regiæ, hu-
millimo calamo devotissimæq; linguæ expressit.
Intereras solenni panegyri, cum isthæc à me
Oratio haberetur, nec improbabas, quæ de Ottone Magno,
pariterq; sed non nisi in transcurso, de Patruo ejus AU-
GUSTO II. quem Ottone majorem aliquando futurum
optamus & quodammodò prospicimus, dicebantur: Nisi
illud fortassè displicuit, quòd conantem grandia nervi, &
ingenii & eloquii, deficiebant. Quanto enim in Serenissi-
mum*

mum Regem nostrum affectu feraris: quantâ devotione
sceptrum Ejus colas: quantâ sollicitudine, ne quid detri-
menti Respublica, quæ ab Illo animam spiritumque trahit, pa-
tiatur, cures, haud ita pridem documento evidenti probâ-
sti, cum Præses Senatus nostri, noctu diuque in omnia in-
tentus, dexterrimè efficiebas, ne vel intempestivâ hosti-
um provocatione periculo exponeretur Civitas, vel socor-
di aut desperatione aut credulitate, malevolis, clam pa-
lamve nocendi, ansa suggereretur. Moderamini Tuo,
prudentiæ totius incluti Magistratus, promptitudini Civi-
um, fortitudini Militum, & cujus maximum in his rerum
difficultatibus momentum fuit, armatæ Regis manui,
quam & nos, ut Regibus esse à Poëta perhibetur, longam
experti sumus, servatio Gedani, & nisi fallor, totius Bo-
rusiæ debetur. Non igitur abs re, cum, quæ apud nos
prosperè & ex voto gesta sunt, qualitercunque prædico,
meæ in dicendo tenuitati succenseres, qui trophæa Augustis-
simi nostri Monarchæ sequor, non passibus æquis. Enim-
verò quia in magnis voluisse sat est, indulgeas obsecro, ut
facultatis defectum gratæ in Servatorem nostrum volunta-
tis contestatio penset. Ciceronis lingvâ, aut divino Statii car-
mine, cujus utriusq; hæreditatem ex asse adivisti, opus foret,
si, quàm auspicatò & feliciter, Regem & fortunam ejus
secuti, intra paucas septimanas, sine cæde & sanguine,
spes maximas ambitiosorum difflaverimus, ex dignitate de-
beat exponi. Horum verò, quæ apud nos acciderunt, pri-
ma rudis penicilli adumbratio, futurorumq; quos præstolamur
even-

eventuum letissima praesagia, in pagellis meis panduntur,
quas Tibi, Vir Summe, ut regiae, quam per Te supplex
ambio, clementiae Parario, eâ, quâ par est, submissione offero.
Accipe observantissimi animi pignus, & qui pro vitâ ac
prosperitate Tuâ, felicissimoq; consiliorum, Ecclesiae ac Reip.
salutarium, successu, preces quotidie concipio, me favore Tuo
dignare. Scribebam Gedani d. 5. Februar. M DC XCVIII.

MAGNIFICENTIAE TUAE

Ad preces piumq; obsequium
paratissimus

S. SCHELGUIGIUS D.

I. N. J.

DE OTTONE MAGNO
ORATIO INAUGURALIS.

Præses Civitatis Perinagnifice,
Viri Magnifici, Generosi, Nobilissimi, Con-
sultissimi, Experientissimi, Excellentissimi, Per-
quam Reverendi, Clarissimi, Spectatissimi,
Humanissimi:

*Dni. Patroni, Fautores, Collegæ & Hospites,
omnium ordinum honoratissimi, debitâque observantiâ
prosequendi:*

Et, quæ in spem patriæ efflorescis, ornatis-
sima Studiosorum concio.

Deus nobis hæc otia fecit:

*Namq; erit ille mihi semper Deus: illius aram
Sapè tener nostris ab ovilibus imbuet agnus:*



Ita Virgilius (a) sub nomine Tityri, di-
reptis militiq; assignatis Mantuanorum præ-
diis, Augusto Imperatori, cujus benignitate
ipsi inter cives soli paterna rura bobus suis

A

exer-

(a) Ecclog. 1. v. 6. seq. Ad verba à nobis allegata, sic commentatur
Servius Grammaticus: *Alii Imperatores post mortem in numerum referuntur
Deorum; Augustus autem templa vivus emernit. Horatius: Præsenti tibi ma-
enros largimur honores, Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.*

exercere licebat gratias exsolvit. Deum vocat Servatorem suum, eique, ut vero Numini, hostias ex servatis mapalibus copiosas pollicetur. Quid igitur nobis faciendum erit, quorum prædia, quorum aras & focos Serenissimus & Potentissimus Poloniarum Rex, AUGUSTUS II. misso ante paucas septimanas milite, à ferro & flammâ malevolorum, cladem perniciemque novilibus nostris minitantium, liberavit. *Venit exercitus regius & cum Julio Cæsare vix vidit hostem, quem vicit: cum hosti ex adverso idem quod Cato quondam, ex Floralibus diffugiens, audiebat, acclametur: An ideo venisti, ut abires? Nunc paci, quæ pro optimâ rerum, haud abs re habetur, restituti, ante omnia supremo Numini gratam offerimus linguam, mutatisque nonnihil ac interpolatis Poëtæ verbis exclamamus:*

Deus nobis hæc otia fecit:

*Namque erit is semper nobis Deus: illius aras
Christiadum accedent sanctis in ovilibus agni.*

Sed nec immemores sumus beneficii ab AUGUSTO Rege, verè Augusto, nobis præstiti. In thesauro rei antiquariæ Goltziano (b) nummum reperimus, hac inscriptione signatum: AUGUSTO P. P. OB CIVES SERVATOS. Ecce & nobis præsto est AUGUSTUS, quem ut Roma libera Ciceronem, sic & nos libertate virtutibus Majorum partâ, gaudentes, PATREM PATRIÆ, procul ab assentatione, aut detestando placendi

(b) p. 30.

cendi studio salutamus. Ille Cives *servavit servabitq;*,
ut perpetuò obsequentissimis subditis gloriari liceat :

Rex nobis hæc otia fecit:

Ille Pater nobis semper manet: illius aures

Excipiant læto resonantes pectore grates.

Cui verò curæ Magnificus Amplissimusque Gedanen-
sium Senatus, otia tot votis expetita, tamque clementer
à Deo & Rege concessa, libentiùs utiliùsque impende-
ret, quàm scholæ, de quâ Burdegalensis vates quon-
dam cecinit: (c)

Gravis schola nomine dicta est:

Iusta laboriferis tribuantur ut otia Musis?

Deerat honestissimis studiis dicatæ juventuti, Juris &
Historiarum Professor, quem patriâ Gedanensem, ex
Lipsiensi Academiâ providentissimi Patroni evocârunt,
Virum nempe Nobilissimum, Excellentissimum & Con-
sultissimum, Dn. JOH. GODOFREDUM à DIES-
SELDORFF, J. U. Doctorem, Cæsareique Palatii Co-
mitem & Concilii publici in Academiâ Lipsiensi ali-
quandiu Assessorem. Huic cum solenni vocatione
injuncta sit Juris & Historiarum Professio, pariterque
etiam Inspectio Athenæi, nunc pro muneris, quod, ut
Rector gero, ratione, cathedram, honoratam Docen-
tium sedem, monstrare, simulque oratiunculâ inaugu-
rali aperire jubeor.

Deliberanti igitur de argumento, quod & tempori

A 2

PROPOSI-
TIO.

(c) Auson. Protrepr. ad Nep.

& loco conveniens, neque auribus animisve auditorum adversum videretur, ipsa Serenissimi Potentissimique Regis præsentia, quam propediem civitati devotissimæ indultum iri cum gaudio præstolamur, auriculam quasi vellicabat, ut in stemma, quod de prædicandis tanti Herois virtutibus, ante secula aliquot, prælusit, cum quadam inquirerem accuratione. Obviabat verò ante alios WITECHINDUS, alter ille Germanorum Harminius, familiâ latisimè diffusâ, plurimorum Comitum, Principum, Regum, Imperatorum genitor, qui inter posteros filium Wigebertum, nepotem Brunonem, abnepotem Ludolphum, atnepotem Ottonem, trinepotem Henricum Aucupem, primum ex Saxonibus Romanorum Germanorumque Regem, quadrinepotem OTTONEM Imperatorem Augustum, cognomine & re ipsâ MAGNUM reliquit. Idem ille Witechindus ex eadem Bohemicæ originis uxore Svatanâ, quam post excessum prioris Conjugis Evæ, seu ut alii vocant Geræ, à Danis oriundæ, duxerat, ante Wigebertum genuit filium patri cognominem. qui confusionis arcendæ gratia Witechindus II. appellari consuevit, à quo Rex noster AUGUSTUS, propagine ritè ductâ, auspiciatò descendit. (d) Hic igitur, qui nunc Poloniam imperio divinitus concessio regit, patrum habuit, quem diximus, Ottonem, tantum inter omnes quotquot Saxonia, imo Ger-

(d) Legi meretur accuratissimi Polyhistoris Dn. Schurtzfleischii erudita Dissertatio de *Wittekindo Magno*.

Germania universa post Carolum M. cives agnovit
Principes, eminentem,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Laudent Assyrii Belum: prædicent Persæ Cyrū: extollant
Græci Alexandrū: celebrent Romani Augustum: clament
Franci Carolum: Saxones in Ottone hoc & Belum reperi-
unt, & Cyrum, & Alexandrū, & Augustū, & Carolum De
hoc cum dicere impræsentiarum consti. uerimus, non ta-
men omnia, quæ adferri possent, congeremus: Adeò
enim multa & præclara, ut recentiores sileamus, à coævis
aut non multò junioribus Scriptoribus, Reginone Pru-
miensi, Witechindo Corbeiensi, Frodoardo Rhemensis,
Luitprando Ticinensi, Dithmaro Merseburgensi, Rosvitâ
Moniali Gandersheimensi aliisque traduntur, ut summaria
duntaxat ab illis prolixè narratorum repetitio, vel ipsum
Fabium, loquacitate olim notatum, fatigaret. Pro-
inde eos imitabimur, qui in hortum jucundissimâ flo-
rum varietate insignem delati, ex plurimis pauca, quæ
oculis naribusve præ cæteris blandiuntur, decerpunt. Ne
autem sine lege & ordine nostra evagetur oratio, illos
nobis ipsis proponendorum terminos & cancellos statui-
mus, ut primùm, quæ in **FAMILIA**, hinc quæ in **REPUBLICA**,
deniq; quæ in **ECCLESIA** per Ottonem M. singulari vel
prudentiâ, vel felicitate, vel etiam autoritate gesta sunt,
in medium proferamus: quod ut per vestram, Audito-
res colendisimi, patientiam & benevolentiam facere
nobis liceat, rogamus, contendimus, obsecramus.

A 3

Ut

TRACTATIO

I. Agitur

de Ottonis

M. Familiâ

in quâ oc-

currunt

Pater

Mater.

Ut à **FAMILIA** Ottonis ordiamur, Patrem natum est, quem paulò ante memoravimus Henricum, quod aucupio intentus nuncium de imperio sibi collato accepisset, cognomine Aucupem. Hunc, deficiente Caroli M. stirpe, Principes Germaniæ Regem constituerunt; milites autem, debellato Hungarorum universæ Europæ metuendorum exercitu, *Patrem Patriæ, rerum Dominum Imperatoremque* salutarunt. (e) Mater Ottonis à Naclero (f) Mechtildis vocatur; à Witechindo Corbeienfi, qui Annales suos regio illius nomini inscripsit, Mathilda. (g) Qualem ea se erga Deum & proximum gesserit, à Witechindo jam demum allegato audiamus: (h) *Omne, inquit, argumentum ingenioli nostri superat virtus tantæ fœminæ. Quis enim dignè possit explicare ejus vigilantiam erga cultum divinum. Omnibus modis & omni genere cellulam suam divinorum carminum melodiâ implebat.* Et post pauca: *Infirmos ubicunq; audiuit, in vicino visitavit, necessaria præbuit: pauperibus manum porrexit: hospites, qui semper aderant, cum omni largitate suscepit: neminem sine affatu blando dimisit: nullum sine munusculis, vel necessariis adjumentis, vacuum reliquit. Sæpè viatoribus, quos longius prospexit, necessaria transmisit. Talia opera, licet valdè humiliter diebus ac noctibus exerceret, tamen nihil de honore regio minuebat.*

Hæc

- (e) Witechid. Annal. L. l. 1. circa fin. (f) Volum. 2. Generat. 32.
 (g) De ejus origine vid. Gobelinus Persona Cosmodromii Etat. 6. c. 47.
 Et Joh. Schiphoweri Chronicon Archicomitum Oldenburgensium c. 3.
 (h) Annal. L. 3. circa fin.

Hæc & plura alia, quæ brevitatis studio præterimus, Monachus ille Corbeiensis annotata reliquit. Si igitur

Fortes creantur fortibus & bonis,

quid miramur, Ottonem à patre fortissimo & matre optimâ profatum, in principem & fortissimum & optimum evasisse? Non reticendum tamen, quod Dithmarus (i) à nonnullis se accepisse refert, de materni affectus intemperie, quæ Mechtildam eò adegerit, ut secundò genitum Henricum, nisi Proceres obstitissent, in successione, Ottoni, ipsâ nativitatæ prærogativâ ad imperium postulato, præferre moliretur. Ita & piæ foeminae inordinata sexus sui desideria deponere nequeunt; quibus cum nimis obsequuntur, simultatum inter Filios semina sparguntur, & quod Saxonicae familiae, tum primùm imperatorio culmini admotæ, facillimè accidere potuisset, æmulos ocoresque ad supprimenda fortunæ blandientis initia, accendunt. Ottonem nostrum, nisi fallor, secunda uxor similibus molestiis involvit. Pri-

*Uxores &
Liberi.*

Lo-

(i) L. r. circa fin. (k) Mechtildis filia, à Cuspiniano prætermittæ mentionem facit Spangenbergius in Chron. Mansfeld, c. 145., fin.

Lotharii Regis Italiae viduâ, quæ pariter à Cuspiniano *sanctitate vitæ plurimum cæteris præstitisse* traditur, quatuor liberorum ex novo marito matre, Henrici, Brunonis & Ottonis, nec non filia, quæ matris nomen referens Hugoni Parisiorum Comiti nupsit. Ab Uxore, istâ, quæ ut Ekkehardus junior, Coenobita Sangallensis, perhibet (l) aliquandiu Latinas literas ad maritum scriptas interpretabatur, Imperator ipse, ardore Romanam linguam cognoscendi, accensus videtur, de quo Witechindus inquit (m): *Cum antea nescierit literas, in tantum didicit, ut pleniter libros legere & intelligere potuerit.* Usque adeo nulla ætas ad discendum nimis sera est, nec pudori quisquam sibi ducat, sequiorem sexum, in iis quæ viros decent, imitari. Enimverò, si (quod Frodoardus habet) Imperator ab Adelheidâ sibi persuaderi passus est, ut imperium Ludolpho primogenito jam ante destinatum, novæ conjugis soboli promitteret, evidenti exemplo comprobatum est Ambrosii pronunciatum: (n) *Mutato concubitu patres depravantur, prælati filiis posterioris copulæ, neglectis autem his, qui ex priori progeniti sunt.* Bellum ex eâ causâ inter Ottonem & filium Ludolphum exarsit perquam crudele, quod Patri querelas gravissimas elicuit à Corbeiensi Historico toties allegato repetitas, (o) non planè absimiles illis, quæ Octavio Augusto tribuuntur:

O uti-

(l) c. 16. (m) L. 2. sub fin. (n) L. 6. Hexaem. (o) Witechind. L. 3. ante med.

O utinam aut cœlebs mansissem, aut prole carerem!

Vicit tamen justior causa Patris, etiam iniqui, tandemque imperium, defunctis aut sacro ordini adscriptis filiis primarum nuptiarum, post mortem Ottonis M. cessit proli Adelheidæ, ejusdem cum Patre nominis. Tres enim numerantur Ottones, proximâ cognatione sibi invicem succedentes, & non numero solum, sed titulis etiam quibusdam aliis distincti. Nam primus noster *Desiderium orbis*; secundus ab eo prognatus *Mors Sarracenorum*, itemque *Sanguinarius*; tertius autem, quem nepotem habuit, à colore *Rufus*, & à virtutibus *Mirabilia mundi*, seu *miraculosus*, solebat appellari.

Egimus de Familiâ Ottonis, porrò ad Rempublicam accedemus, magnâ & Fortitudine, & Clementiâ, & Justitiâ, & Prudentiâ & Pietate ab eo gestam. Symboli, quod recentiores vocant, loco, frequenter Imperatori nostro, in ore fuisse perhibetur illud: *Pacem cum hominibus, cum vitiis bellum habeamus.* At non licuit ipse esse tam beato. Prima statim initia regni domesticis invidorum & malevolorum molitionibus, quarum altera alteram, non secus ac unda undam, trudebat, perquàm turbulenta sensit. Henricus frater Imperatoris, spe regnandi, inescabatur, quòd à Rege natus esset; cum primogenitus eundem quidem, sed non nisi Ducem agnosceret genitorem. (p) Conjuraverant simul Everhardus Francorum & Giselbertus Lotharingorum Dux.

II. Quæ Otto M. gesserit in Republicâ: Prædicatur autem ejus Fortitudo.

B

Uter-

(p) Cuspinian. h. l.

Uterque autem, tametsi Henrico auxilium pollice-
rentur, sibi ipsi diadema quærebat; quod quidem eâ
jam expectatione devoraverat Everhardus, ut uxori di-
ceret: *Mox charissima conjux, non Ducis, sed Regis am-
plexu gaudebis.* Successerunt in patriâ turbæ à Ludol-
pho filio motæ, quibus plurimi, etiam Ecclesiastici or-
dinis Principes, ab Ottone beneficiis affecti, involve-
bantur. Ut taceamus Tancredum, seu, quod nomen
apud alios gerit, Tanquardum, Thuringiæ Comitem, ex
Henrici Aucupis Concubinâ, Ottoni fraternâ cogna-
tione, nequaquam verò affectus propensione ac amore
junctum: itemque lites, quæ mortuo Arnulpho, Bava-
rorum Duce, inter filios æmulos subortæ, Imperatori
non parum negotii faceffebant. Externi hostes, qua-
les & quanti fuerint, jaçantia eorum prodit. Pa-
rum est, quòd Slavorum Princeps Stoinesius, exercitum
Imperatoris *colluviem mendicorum* esse palam blaterabat
(q): duriora & à Pyrgopolinice Plautino mutuata vi-
dentur, quæ ex ore Hugonis Parisiorum Comitiss prodi-
bant: *Se uno haustu facile Saxonum tela septem esse absor-
pturum.* (r) Ferocissima omnium, sed & stolidissima
meritò censetur Hungarorum gloriatio: *Nisi cælum ru-
ens nos obruat, aut terra hiscens deglutiat, alioqui nemo nos
superabit.* (s) Quid verò ad hæc Otto noster? Probè
noverat, viro armato non verbis certandum esse, sed
ferro;

(q) Spangenberg. Chron. Mansfeld. P. 1, c. 139. f. 140. (r) Witech.
L. 3. init. (s) Cuspin. h. l. p. 242.

ferro; quo feliciter usus, non Slavos solùm & Gallos, sed etiam Bohemos, Danos, Italos, Saracenos vicit, prostravit, subjugavit, imperiumq; vastis provinciis, Longobardiâ, Austrasiâ, Lotharingiâ, Belgio & Burgundiâ recuperatis, insigniter auxit. Quid multis? Verè de eo cecinit Rosvita, eruditissima, pro seculi illius genio, Vestalis:

*Nullus erat populus, quamvis virtute superbus,
Lædere qui posset, vel exsuperare valeret
Ipsam, cælestis fultum solamine Regis:
Ejus nec cessit telis exercitus ullis,
Ni sua spernendo forsân regalia jussa
Illic pugnaret, quo Rex idem prohiberet.*

Nimirum Marte per tot annos ex sententiâ continuato, Otto fortunam non nisi semel expertus est novercantem, cum Eggardus Comes, æmulatione in fratrem Hermannum, cui summa rerum ab Imperatore demandata erat, incensus, Bohemos contra mandatum invadens, cum vitæ suæ dispendio, miserandam consortium cladem pateretur.

Bellum esse *rem severam*, in quâ homo homine prodigè abutitur, non verè minùs, quàm prudenter dictum est. (t) Qui igitur militiæ à teneris assveverunt, plerumque crudelitati propiores, clementiam, præsertim in hostes, detestantur. Longè autem alia mens Otto-

Clementia.

B 2

ni

(t) Grotius L. 2. de J. B. & P. c. 24. n. 10

ni fuit, qui culpam deprecantibus facile ignoscebat, sui-
que muneris esse rebatur,

Parcere subjectis & debellare superbos.

Expertus id ipsum est Henricus Frater, alterâ licet vi-
ce rebellis, (u) qui cum nudis pedibus & capite dete-
cto ad genua Ottonis provolutus, veniam imploraret,
in gratiam receptus, quin imo tandem, Matre interce-
dente, Bavariæ principatu donatus est. Nec opinan-
dum, sanguinis propinquitati hoc indultum, quando
alii, quibus nulla cum Imperatore necessitudo interve-
niebat, non multò minorem invenerint clementiam.
Nam de Everhardi militibus, postquam ex consuetudi-
ne illorum temporum, poenæ loco, canes portâssent, hi-
storicus Corbejensis testatur, quòd illico rursus cum
pietate suscepti, & qui extremo supplicio affici potu-
issent, in pace & non sine regio munere fuerint dimis-
si. (x)

Justitia.

Enimverò, sicubi Imperator nihil se lenitate profi-
cere animadverteret, tum justitiæ ultrici, laxabat capi-
strum. Ut, quo erga maleficos animo esset, obviis
quibusque innotesceret, more consulum Romanorum,
inauratam securim sibi præferri curabat. (y) Eâ vin-
dicabat stuprum foeminae in Lombardiâ violenter illa-
tum, tametsi matrimonio interveniente, quæ antehac
injuriam passa erat, nunc pro novo marito veniam su-
plici-

(u) Cuspinian. l. c. (x) Witech. L. 2. non procul ab init. (y) Cu-
spin.

plicibus quæreret lamentis. Historiam integram memoratu dignam pluribus exponit Gobelinus Persona, qui gratiam hisce verbis negatam refert: *Per barbam Ottonis, ille gustabit securim.* (z) Sic enim Imperator fidem dictis facere solebat, accuratiùs servans, quæ per hirsutiã labiorum sponderat, quàm, quæ ab aliis jurejurando firmantur. Singulare & hoc est ab eodem Gobelino memoratum, quòd Otto Mediolanensibus, cum ab obsequio recedentes Imperatoris monetam sprevisset, ut multa exactè delicto congrueret, nummos injunxerit, ex corio detrito paratos. Inter ea, quæ judicum oculis caliginem suffundunt, principem locum pecunia tenet, quã Otto, tantum abest, ut se corrumpi siverit, ut potiùs aurum argentumque ab Hugone Italiae Tyranno sibi missum, generoso animo contempserit, atque suo insuper thesauro Berengarium exulem adversus oppressorem tueretur. (a) Eodem justitiæ, suum cuique tribuentis, amore flagrans, Ludovicum Gallia Regem, ab Hugone Comite captum, non sine magno labore plurimisque impensis liberavit & pristinae restituit dignitati. Cum verò non poenæ solùm ad justitiam spectent, sed etiam præmia; iniquum foret reticere, quantã magnificentiã Otto virtutes Hermanni Billingi coronarit, (b) cui propter laudabilem in rebus gerendis vigilantiam

B 3

&

(z) Bie Otton Bardt, he moth Barden schmecken. Persona Cosmodrom. Ætat. 6. c. 48. (a) Luitprand. L. 5. c. 5. (b) Vid. Meibomii Vindiciæ Billinganæ, in R. rum. German, T. 3. p. 37. & Lehman. Chron. Spirens. L. 5. c. 5. p. 390.

& dexteritatem, postquam augustæ juventuti ephorus aliquandiu præfuiſſet, partem Saxonix aquilonarem, Danis Henetisque vicinam, & ab utrisque frequenter afflictam, primùm tanquam Legato gubernandam, hinc ceu peculium possidendam, atque ad posteros, qui nunc Brunsvicensium ac Luneburgensium Principes vocantur, transmittendam, assignavit.

Prudentia.

Quod ad prudentiam Ottonis attinet, si omnia ejus monumenta, quæ ab Historicis plenâ manu suppetantur, comportare vellemus,

ante diem clauso componet vesper Olympo,
quàm enarrationi nostræ colophon imponatur. Unum ergo duntaxat & alterum specimen adferemus. Prudentiæ erat, quòd, exemplo Patris, Germaniam haud exiguâ sui parte, adhuc vastis sylvis solitudinibusque horridam, urbibus exstructis ornaret, vicinisque formidabilem redderet. Henricum Aucupem Goslaria, Misnia, Quedlinburgum, Merseburgum agnoscunt conditorem. (c) Ottò plures erexit, aut bello desolatas reparavit, variisque privilegiis donavit. Inter omnes verò eminet Magdeburgum, cujus origo in Chronico Magdeburgensi, quod Henricus Meibomius Junior edacitati temporis subtraxit, vano commentò ad Julium Cæsarem refertur. (d) Aliud Scriptores, Ottoni nostro coævi, testantur; nec dissentit Chroni-

(c) Persona Cosmodrom. Ætat. 6. c. 47. (d) Rerum Germ. T. 2. p. 270.

con Mindense, incerti, sed tamen fide digni Autoris, quod à Meibomio Seniore editum sequentes versiculos, Poësin illius seculi redolentes, exhibet: (e)

*Dum nongentenus ter denus ducitur annus,
Extitit à Christo tunc Rex magnus, pius Otto,
Magdeburg anno fuit hujus structa secundo.*

Prudentiæ erat, quòd Proceres Imperii multiplici benevolentia sibi devinciret, eosque qui armis resistere poterant, cognatarum aut affinitate junctarum foeminarum matrimonio, per imbellem sexum, sine detrimento Reip. expugnaret: quo quidem artificio, ut alios taceamus, à Comitibus Ebersteinensibus, quorum arcem obsidione, in alterum usque annum protractâ, inani fatigaverat operâ, victoriam ex voto reportabat. (f) Prudentiæ etiam, & quid prudentiam dico? plurium simul virtutum erat, quòd in Pantheo Godofredi Viterbiensis, metro alligatum legitur. (g) Accidebat nimirum Papiæ, quæ Ticinum antiquis vocabatur, in urbe totius Insubriæ post Mediolanum clarissimâ, ut Imperator in ipso palchatos festo, aulicos magnifico exciperet convivio. Cum autem dapes inferrentur, filius Ducis Sveviæ, adolescentiâ pariter & appetitu stimulatus, manum patinæ infert, particulamque libi farinacei decerpit. Id ægrè ferens Dapifer, baculo

(e) Ibid. T. 1. f. 559. (f) ex Crusio & Lazio Lehmann. Chron. Spirens. L. 5. c. 7. p. 392. (g) Part. 17. p. 478. Add. Lehmann. Chron. Spirens. c. 6, p. 391. & Joh. Paulus in Jocoseriis.

baculo caput audaculi non leviter percutit, sed ab hujusdem Ephoro, Henrico Kemtensi, gladio evaginato transfoditur. Accedit interea Otto, atque cum exanimem cadaver aspiceret, indignitate rei motus, Ephorum sine mora decollari jubet; qui ad preces confugiens & festi religionem obtendens, exclamasse fertur:

Propter pascha Dei, Rex miserere mei.

Enimvero, cum nihil omnino voce humillima proficeret, in furorem versus, Imperatorem prosternit, evulsaque, quam maximi faciebat, barba, jacentis gutturi unguis immittit. Vix ex mortis imminentis discrimine Otto, robore satellitum liberatus, cum adstantes unanimi calculo Ephorum laesa Majestatis damnarent, supplicioque addicerent, ipse re altius perpensa: *Nihil, inquit, gravius in ipsum committatis. Ultrius enim majus delictum? Ego resurrectionis Dominicae, ille Majestatis Imperatoriae oblitus est. Praestat ergo non judicare, quam judicari. O prudentiam! O clementiam! O justitiam.* Omnes haec virtutes concurrunt, inter quas praecipue miramur insolitam tanto fastigio pietatem.

Et Pietas.

Atat non desunt plura religiosissimi in Deum affectus indicia. (b) Neque enim diurnis solum, sed & nocturnis sacris devotus intererat, a quibus, cum accessisset, ante solennitatis finem, nunquam discedebat. Si quando convivio exciperet hospites, quae supererant analecta & reliquiae, pauperibus, copioso numero

(b) Naucler. Vol. 2. Gener. 33. p. 738.

mero aulam comitantibus, cedebant. Cæterum de Rep. agentes, ista jam non moraremur, nisi alia suppetent & quidem, evidentiora imperii summâ pietate administrati, documenta. Hujus ergo cum primis loci est deprædicanda animi submissio, quæ ut fastui, si quis fortè subriperet, obex poneretur, jejunium priùs indicebat Ottoni, quàm regio diademate ornatus, in publicum procedere auderet. (i) Sed nec hostem aggrediebatur, nisi Deo priùs implorato; cujusmodi preces in prælio adversus Henricum fratrem, plus armis valebant. (k) Vix enim Imperator oratione finitâ surrexerat, ecce hostes, cur fugerent, incerti, antequam vel unicus ex tenui Ottonis exercitu occumberet, omnes jam ab inermibus pedibus salutem expetebant. Similiter qui Numine in partes advocato bellum ordiebatur, nec victoriâ obtentâ beneficii negligebat autorem. Simulac enim de hostium, Giselberti ab Everhardi, interitu nuncium adferretur, Otto non expectatâ lætissimæ narrationis continuatione, loquentē manu compescuit, & equo se dimittens non sine lachrymis Deo gratias egit. (l) Quin imo quotiescunque fortuna ausibus ipsius aspiraret, cum regio Psalte exclamasse fertur: *Non nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam.* (m) Tanta Ottonis fuit pietas, cui primum

C

inter

(i) Spangenb. Chron. Mansf. c. 138. f. 137. b. (k) Luitprand. L. 4. c. 11. (l) Ibid. c. 17. (m) Lehmann. Chron. Spirens. L. 5. c. 3. p. 388.

inter virtutes locum, prout meretur, tribuiffemus, nisi ordini dicendorum superius constituto obsecundantibus, ultimis reservandum videretur, quod ad ultimam Orationis partem nobis viam quodammodo sternebat.

III. Acta
Ottonis M.
in Ecclesiâ
instaurandâ.

Superest enim, ut quæ Imperator ECCLESIAE proficua, anteambulonem secutus pietatem, gesserit, exponamus. His verò intentis, primùm Ecclesiæ instauratio, hinc conservatio, tandemque reparatio occurrunt. Ut Ecclesia apud alios, qui de Christo vel nihil antehac fando acceperant, vel accepta animis parùm fidei servaverant, instauraretur, omnem quam poterat, navabat operam Imperator. Ex Slavis certè diversarum nationum, Wagriis, Obotritis, Kiffinis, aliisque multa hominum millia in communionem sanctorum recepta sunt. (n) Adelbertus etiam, Henrici Aucupis ex sororis filio nepos, Ottonique adeo sanguine conjunctus, (o) Pragensium in Bohemiâ Episcopus, ad Hungaros, post cladem, quâ affecti fuerant, sub novo eorum Rege, Germanorum amicos, mittebatur. Posthæc Otto eundem Prutenis impertiit: Sic enim præter Lambertum Schafnaburgensem, (p) Theodoricus de Niem tradit, (q) nobisque terras luce no-

vâ
(n) Helmold. Chron. Slavor. L. i. c. 11. seq. Add. Notæ Bangerti
ibid. (o) Hartknoch. Histor. Eccl. Boruss. L. i. c. 1. n. 8. p. 13. (p) Apud
Pistor. Scriptor. veter. T. 1. p. 156. (q) Scripsit Niem Elogium Ottonis,
quod extat in Meibomii Rerum German. T. 1. p. 665. Verba ejus sunt: *O-*
cto S. Adelbertum, ad prædicandum Prutenis & aliis diversis nationibus circum-
circa positis, misit.

vâ tunc collustratas hodie colentibus, gratam in beneficii auctores memoriam injungit. Neque enim dubitamus, quin prædicatio Adelberti, non magis apud Hungaros quàm majores nostros haud contemnendum tulerit fructum. Fatendum tamen, conatus Imperatoris in lucrandis Deo animabus, feliciùs apud Danos successisse, quibus ingenti prælio superatis, per univèrsum regnum, fidem Christianam persvasit. (r) Præcipuus, ex neophytis salutari lavacro imbutis, Haraldus Rex fuit, ejusque uxor Hunnilda & filius, qui cum antehac Svenno diceretur, adscito insuper Herois nostri, à quo ex sacro fonte levabatur nomine, Svenotto est vocatus.

Similem, imo majorem multò curam Otto noster conservationi Ecclesiæ impendit: Probè enim gnarus, quòd non minoris virtutis sit, *tueri parta, quàm quæ-
re*, ne qui jugo Christi vel pridem subjecti, vel nunc demum initiati fuerant, ad pristinam reciderent idolorum reverentiam, Episcopatus haud paucos, ut & Cœnobìa, in quibus, ceu scholis, Christiana juvenus servitio Numinis præpararetur, erexit. Plurimis neque immoderatis extollitur laudibus Caroli M. in religionem studium, cui octo Episcopatus, videlicet Os-
nabrugensis, Bremensis, Halberstädiensis, Hildesheimensis, Verdensis, Paderbornensis, Mindensis & Monasteriensis incunabula sua debent. At ipso Carolo libera-

Conservanda.

C 2

bera-

(r) Helmold, Chron. Slavor. L. 1. c. 9. p. 27.

beralior majorque Otto, cui si Vadiano Sanctgallen-
 sium Consuli, solertissimo antiquitatum Germanica-
 rum scrutatori fidem adhibemus, *decem minimum Epi-
 scopales sedes in Germaniâ fundatæ* tribuuntur. (s) No-
 vem earum Paulus Langius in Chronico Citizenensi enu-
 merat, nempe Magdeburgensem, Brandeburgensem,
 Merseburgensem, Misnensem, Slesvicensem, Ripensem,
 Havelburgensem, Megapolensem (quæ postea Sveri-
 num translata est) & Citizenensem seu Numburgensem;
 ex quibus verò Slesvicensis & Ripensis, ut & Arufensis,
 quæ unâ cum duabus hisce, sub Ottone coepit, (t) com-
 modiùs Daniæ, à Germanis devictæ, quàm ipsi Ger-
 mania accensentur. Interim denarium numerum
 à Vadiano expressum complevimus, quem præter
 Scriptores alios, integerrimæ fidei Historicus Helmoldus
 auget, mentione insuper factâ, præsulatus Al-
 denburgensis, qui variam expertus fortunam, tan-
 dem Henrici Leonis providentiâ, Lubecæ tutiorem lo-
 cum invenit (u) Ubi verò Episcopatum Pornæ, juxta
 Chronicon Magdeburgense, excitatum (x) & Archi-
 præsulatui Magdeburgensi subiectum, quæremus? (y)
 Si conjecturis indulgere licet, hîc pro *Pornæ* legendum
 hariolamur *Posnæ*. Nam Gobelinus Persona (y) apertè
 Posnaniensis in Poloniâ Majori Episcopatus initia ad Ot-
 tonem

(s) Præf. in Tom. 3. Alemannicorum Scriptorum, à Goldasto colle-
 ctorum. (r) Crantzius Metropol. L. 3. c. 17. (u) L. 1. c. 11. Add. Cran-
 tzius Metropol. L. 3. c. 26. (x) Vid. Meibom. Rer. German. T. 1. p. 735. &
 T. 2. p. 275. (y) Cosmodromii Ætat. 6, c. 48.

tonem nostrum refert, qui, ut opinamur, Miēcislao, Sarmatarum Principi, ad Christum converso, in erigendo hoc præfulatu (z) manus auxiliatrices porrexit: tametsi in Historâ Sarmaticâ ejus rei nec vola nec vestigium reperiatur.

Percepistis Auditores, quantum Ottonis in Episcopatibus instituendis, dotandis ornandisque cura, quantum circumspectio, quantum pietas effulserit. Sed nec in defendendis contra vim iniquam Præsulibus segnitia ac socordia cujusquam argui potest. Ejus enim ope & Berengarius in Italiâ & Hugo in Galliâ compecebantur, quando ille Romanum, Mediolanensem, Cumanumque; hic Rhemensem, Pontifices injuriâ afficiebat. (a) Omnium verò maximè & enixissimè in emendandâ Ecclesiâ occupabatur. In ea enim inciderat tempora, quibus, Genebrardo teste, (b) Romani Flamines à virtute majorum prorsus defecerant, apotactici apostaticive magis, quàm Apostolici. Neque Platina, omnium, quæ Romæ gerebantur, aut gesta ante ipsum fuerant, si quisquam alius, probè gnarus, scribere veretur: (c) *Ubi cum opibus lascivire cœpit Ecclesia Dei, versis ejus cultoribus à severitate ad lasciviam, peperit licentia peccandi, nullo principe flagitia hominum coërcente, hæc mon-*

Et emendanda.

C 3

stra,

(z) Stephanus Damelewitz in Vitis Vladislaviensium Episcoporum c. 1. p. 28. Ottonis nostri nullam mentionem facit, quando foundationem Episcopatus Posnaniensis à Miēcislao accersit. (a) Schilterus de Libert. Eccles. German. L. 3. c. 5. n. 3. seq. 7. seq. (b) Chron, L. 4. ad A. c. 901. (c) in Vitâ Benedicti V.

stra, hæc portenta, à quibus ambitione & largitione sanctissima Petri sedes occupata potius est, quàm possessa. Ita quidem Romæ vivebatur, à quâ urbe Europa universa, vitiorum scelerumque exemplis, miserum in modum corrumpebatur. Otto igitur quæ sui muneris essent non ignarus, ut Theodorici Niemii verbis utar, (d) in celebri statu spiritualia & temporalia direxit, nihil intentatum relinquens, quod ad reparandam Ecclesiæ felicitatem, facere videbatur. Hinc delectis, ex Imperatoris voluntate, Visitoribus, in monasteria inquirebatur; (c) cum satius esse censeretur, cœnobicia à paucis spectatæ virtutis, quàm à pluribus vitæ incompositæ & dissolutæ habitari. Severitate eâ Witechindus Monachus, disciplinam insolitam non omnino approbans, factum perhibet, ut plures propriæ infirmitatis (fortè etiam malitiæ) conscii, deposito habitu & relictis monasteriis, onus sacerdotii devitarent. Ita honestissimi conatus, à seculi exulceratæ consuetudine abhorrentes, si ex alio titulo reprehendi nequeant, saltem ideo, quòd malis displiceant, sugillantur. Prætereà Otto Synodos convocabat, easdemque Imperatoriâ autoritate moderabatur: quod ne ex nostro effinxisse cerebro existimemur, adductis antiquarum historiarum testimoniis, reddetur comprobatum. Luitprandus certè de priori, quod Romæ

(d) In Elogio Ottonis ap. Meibom. Rer. Germ. T. 1. p. 662.. (c) Witechind. Annal. L. 2. circa fin. Eggehard Junior de Vitâ Notkeri c. 31.

mæ celebratum est, concilio scribit: (f) *Rogantibus Imperatorem tam Romanis Episcopis, quàm plebe, magnificus in S. Petri Ecclesiâ sit conventus, sederuntque cum Imperatore Archiepiscopi, Cardinales, Episcopi, Primatesq; Romanæ civitatis: quorum nomina prolixè à laudato Scriptore recensentur & mox subditur: (g) His residentibus silentiumque summum tenentibus, ita sanctus est Imperator exorsus.* Otto igitur precibus & Cleri & populi Romani motus, Synodum hanc coëgit & in eâ proponendo, de quibus agendum foret, primas præcipuasque partes obtinuit. Neque aliter ibidem in secundo Concilio, quod præsentè Ottone habebatur, actum legimus. Nam compilationis Chronologicæ, quam Pistorius (h) inter Scriptores Germanicos Siffrido Misnensi proximam fecit, Autor inquit: (i) *Magna synodus facta est Romæ, cui Otto Imperator præsidebat, cum multitudine Episcoporum, Clericorum & Monachorum, ibique dejectus est Papa Benedictus à sede Apostolicâ.*

Cum Papæ hic injiciatur mentio, manu quasi duplicimur ad explicandum, quibus modis Otto ipsos etiam Romanæ urbis Episcopos, nimium potestate, per Coëpiscoporum somnolentiam & oscitantiam acquisitâ abutentes, pro officii divinitus concessi ratione, in eum redegerit ordinem, quem perturbatissimus Ecclesiæ Status

etiam cum
Depositione
Papæ.

(f) L. 6. c. 6. (g) Ibid. c. 7. (h) Scriptor. Germ. T. 1. p. 731.
(i) p. m. 336.

status patiebatur. Nihil aut amori in nostros, aut odio in Curiam, quam vocant, Romanam, nobis licet infensissimam, dabimus; sed veritati unicè studentes, quæ tum acciderint, quo par est candore, ex perantiquis horum temporum monumentis, adducemus. Sedebat nimirum Romæ Johannes XIII. homo, ut Platina loquitur, *ab adolescentiâ omnibus probris ac turpitudine contaminatus, venationibus magis, si quid temporis à libidinibus supererat, quàm orationi deditus*; de quo tamen adulatorum, non sine atroci impietate, adhibebant illud à Spiritu S. de præcurfore Christi usurpatum: *Erat homo missus à Deo Johannes.* Ille igitur Johannes, insolentiâ Berengarii vexatus, Ottonem in Italiam vocat; sed rebus ab hoc prosperè gestis, perfidè rursus deserit. Imperator autem precibus Romanorum denuò sollicitatus, cum Pontificem, jam antè monitis suis atque post etiam literis à morum impuritate ad sanctimoniam revocare frustra studuisset, in urbem redit, & Johanne jam à scelerum conscientiâ in fugam acto, Concilium agit. Horret animus, cum querelarum adversus sanctissimum, si Diis placet, Christi Vicarium, non à plebejis hominibus, quibus capitis, quod ajunt, & ingvinis discrimina in promiscuo sunt, sed à Presbyteris, Episcopis, Cardinalibus prolatarum, recordamur. (k) Deferebatur nimirum, ut multa alia, quæ

excu-

(k) Omnia hæc ex Historicis eorum temporum prolixius describunt Magdeburgenses Cent. 10. c. 9. nec dissentit Baronius h. l.

excusationem qualemcunque admittunt, præterea
 mus, quòd puerum anno ætatis decimo in Tudertinâ
 Civitate Episcopum, atque alium in equili Diaconum
 ordinârit: quòd officia ecclesiastica vendendo simo-
 niam incurrerit: quòd ex Palatio Lateranensi lupanar
 fecerit; quòd cum duabus sororibus, cum Stephanâ
 patris sui concubinâ, cumque nepte suâ incestum com-
 miserit; quòd aureas cruces & calices S. Petri scortis
 distribuerit: quòd Johannem Cardinalem Diaconum,
 virilibus amputatis, occiderit: quòd Benedictum, spi-
 ritualem suum patrem, oculis privarit: quòd incen-
 dia procurârit: quòd Diaboli in amorem vinum bibe-
 rit: quòd in aleæ lusu, Jovis, Veneris ipsorumque Dæ-
 monum auxilium poposcerit. Hæc & similia cum au-
 divisset Imperator, per Luithprandum Cremonensem
 Episcopum gravissimâ Oratione accusatores monet,
 imò per Deum falli nescium obtestatur, ne quâ Pa-
 pam calumniâ gravarent. Mox verò & Clerus & Po-
 pulus, unâ quasi voce, exclamabant: (1) *Si non quæ le-
 ta sunt hisque turpiora Johannes Papa commisit facinora,
 non nos à peccatorum vinculis absolvat Apostolorum Prin-
 cepts beatus Petrus, qui verbo cælum indignis claudit, justis
 aperit. Simus anathematis vinculo innodati atque in die
 novissimâ in sinistrâ parte cum iis, qui dixerunt Domino
 Deo: RECEDE A NOBIS; SCIENTIAM VIARUM TU-*
 D ARUM

(1) Luithprand. L. 6. c. 8. seq.

ARUM NOLUMUS. Horrenda sanè protestatio, cui nisi qui nemini credit, vix quisquam fidem derogabit. Noluit tamen Imperator Reum damnari inauditum, sed scriptâ per synodum epistolâ absentem citat, venturoque securitatem promittit. Quid verò ad hæc Pontifex? Audite Laconicam brevitatem, simulque

Auditum admissi risum teneatis amici.

Respondebatur scilicet; Johannes Episcopus, servus servorum Dei, omnibus Episcopis. Nos audivimus dicere, quòd vos vultis alium Papam facere. Si hoc facitis, excommunico vos de DEO omnipotenti, ut non habeatis licentiam nullum ordinare & missam celebrare. Væ Prisciane tuis auribus! Ecce servus servorum, Grammaticæ præceptis servire recusat. Advertebat id ipsum Imperator, unâ cum Patribus Romæ adhuc confidentibus, qui iteratis literis vocato, barbarissimum præcipuum in epistolâ ejus obvium festivè exprobrabant, inter alia ponentes. *Scriptum erat: NON HABEATIS LICENTIAM NULLUM ORDINARE: Nunc usque putavimus, imo credimus, duo negativa unum facere dedicativum, nisi vestra autoritas priscorum sententias infirmat autorum. Nos verò intentioni vestra non verbis respondeamus. Dicitum, factum. Cum epistola isthæc Papam, qui pharetratus aliò abiverat, non offenderet ampliùs, atque Imperator seriis Patrum in synodo congregatorum desideriiis annueret, reprobato Johanne, ut salutatur Apostatâ, surrogatus est Ecclesiæ Roma-*

Roma-

Romanæ Protoscrinarius Leo, inter Pontifices ejusdem nominis octavus. Enimverò vix atque Imperator discesserat, non solum Johannes factione amicorum, muneribus amplissimis, & quæ plurimum valebat, foeminarum illustrium ab ipso antehac corruptarum machinatione, successorem expulit, dignitatemque brevi, antequam in thoro alieno adulter confoderetur, recuperavit; sed etiam, post illius excessum, Benedictus VIII. neglecto Leone, papale fastigium conscendit. Utrumque Otto agerrimè tulit, atque hinc, compositis in Germaniâ rebus, cum exercitu reversus, postquam Romanos ad deditiorem fame compulerat, Benedictum in novo Concilio depositum secum abduxit, Hamburgique ad mortem usque exulare jussit. Leo autem postliminio dignitati restitutus, quo & beneficiorum ab Ottone acceptorum & moniti à Christo (*ut Cæsari, quæ Cæsaris sunt, redderentur*) profecti (*m*) memorem se ostenderet, consentiente, ut diploma habet, *toto clero & Romano Populo*, sequentem, quæ in ipso Juris Canonici Corpore etiamnum exhibetur, Legem publicavit. (*n*) *Constituimus & confirmamus & roboramus, & per nostram Apostolicam auctoritatem concedimus & largimur Domino Ottoni, Regi Teutonicorum, ejusq; successoribus hujus Regni Italiae in perpetuum, facultatem eligendi successorem atque summæ sedis Apostolicæ Pontificem ordi-*

D 2

nan

(*m*) Matth. XXII. 21. (*n*) Distinct. 63, c. 23. Vid. Baron. ad A. C. 964. n. 27.

nandi ac per hoc Archiepiscopos seu Episcopos, ut ipsi ab eo investituram accipiant. &c.

CONCLUSIO.

Talis in vitâ suâ Otto fuit, reverâ magnus: Talem in Familiâ: Talem in Republ Talem in Ecclesiâ se gessit. Talis cognato suo, Serenissimo & Potentissimo Poloniarum Regi AUGUSTO II. felicissimo virtutum æmulo, præluxit. Nos finem Oratiunculæ imposituri, ut ultima primis respondeant, Sacræ Regiæ Majestati iisdem versibus, quibus Ottonem M. Luithprandus venerabatur, unicâ duntaxat voce mutatâ, humillimo devotissimoque cultu gratulamur: (o)

*Quicquid JOHANNIS perit recessu,
Præstitit claro populis hic ortu,
Blandus & mitis patiensque sanctis,
Pestifer duris, rabidusque sævis:
Bella nonnullis Tibi sunt gerenda:
Ex quibus nomen referes in astra.
Cuncta calcabis pedibus per orbem,
Quæ premit tardus radians Bootes,
Et quibus nomen dedit Hesper almus,
Lucifer rursus vocitatus idem
Surget Eo properans corusco.*

INAUGURATIO.

Nunc ad eamemet accingo, quorum gratiâ hodierno die potissimum in hocce Acroaterio, convenimus. Autoritate nimirum Magnifici Amplissimique Sena-

(o) L. 4. c. 7.

Senatus, cui pro curâ prorsus paternâ, quam filiæ suæ, nostro Athenæo, conservando, fovendo, ampliandoque impendit, gratiæ debentur immortales, studiosæ juventuti, solenni ritu præficere jubeor Nobilissimum, Excellentissimum & Consultissimum, Dn. JOHANNEM GODOFREDUM à DIESSELDORFF Gedanensem, J. U. Doctorem longè dignissimum, ritè vocatum in Scholâ patriâ, studiorum apud nos matre, Jurisprudentiæ & Historiæ Professore Publicum ordinarium, Gymnasiique Inspectorem. Agedum ergo, Vir honoratissime: adesto alacer, & cathedram Tibi demandatam, Numine propitio conscende, thesaurosque multijugæ eruditionis, primùm apud nos ex HOPPIANA felicissimæ recordationis institutione, hinc etiam per tot annos in Academiis exteris impigro labore conquistos, plurimo Ecclesiæ, Reipublicæ Oeconomix, cum fructu, reclude, prome, dispensa. Si insignis ille (ut verbis suis describatur) *bonæ mentis advocatus* Seneca, ad virtutem contendenti rectè svasit *ut virum aliquem bonum eligat, semperque ante oculos habeat, (p) meliorem*, meo qualicumque judicio, quem in officii publici executione, perpetuò intuearis commendare vix novi, quàm prædecessorem tuum magni nominis, Dn. JOHANNEM SCHULTZIUM, nunc Serenissimi, Potentissimique Electoris Brandenburgici Consiliarium

D 3

(p) Epi 7. 1.

rium

rium, Virum non de Athenæo solum nostro, sed de universâ re literariâ præclarissimè meritum, Religioni veræ addictissimum, Juris consultissimum, Historiæ peritissimum, Lingvarum præter eruditas insuper etiam, Polonicæ, Gallicæ, Italicæ callentissimum, ore facundum, calamo facilem, laboris patientem, Principibus gratum acceptumque, Superioribus obsequiosum, Paribus amicum, Inferioribus benevolum, Collegis fidum, Cunctis officiosum, in docendo perspicuum, in conversatione jucundum, in consiliis perspicacem, in negotiis expediendis præ multis aliis solertem: verbo; Eum, de quo istud Comici non incommodè usurpaveris: *Tunc demum homines nostra intelligimus bona, cum quæ in potestate habuimus antè, amisimus.* Ad hujus Viri exemplum, si Te in Spartâ, quam nunc suscipis, ornandâ composueris, non Schola magis, quam Civitas universa gaudebit, plaudetque. Sed quid memorem moneo? Ignosce, Collega exoptatissime, affectui meo, qui cum erga absentem tantus sit, ex eo collige, quantus erga Te futurus sit præsentem. Vos autem, qui utrique nostrum in eadem Spiritus S. officinâ proximi consistitis, Viri Nobilissimi, Experientissimi, Excellentissimi, Clarissimi, quæso, quod magnâ hætenus cum laude fecistis, imposterum etiam facite: Ne unquam nobis in gratiam redeundi necessitas impona-

ponatur, semper nobis dictum putemus illud Prudentii: (q)

*Ergo cavete Viri, ne sit sententia discors,
Sensibus in nostris: ne secta exotica tectis
Nascatur conflata odiis: quia fissa voluntas
Confundit variis arcana biformia fibris.
Quod sapimus, jungat amor: quod vivimus, uno
Conspiret studio: nil dissociabile firmum est.*

Inter fata Athenæi nostri prorsus singularia referimus, quòd qui in eo docent, ut publica odiorum victima, venenato plurimorum, etiam infimi subsellii, homuncionum, flagello impunè vexentur. Neque enim quærelæ hæ nostri solùm & proximi, quod nos antecessit, temporis sunt; sed jam ante medium seculum & quod excurrit, Theologus summorum meritorum, D. JOHANNES BOTSACCUS Gymnasia hujus Rector, injurias, illas peculiari programme Anno M DC XL. à se & Collegis amoliri conabatur. Postquam enim super iniquos iudices vitioque creatos Censores, qui rectè factorum exantlatæque provinciæ gloriam, apud alios sinistro quodam detractionis velut penicillo obducunt atque obfuscant, alta duxisset suspiria, mox tragicas voces, quibus tum Professores vapulabant, adducit.

(q) Psychom. 7.

cit, Quæ verò tandem illæ? In Gymnasio nostro, ajebant, parum aut nihil ferè agi, quod ad promovendos juvenutis studiosæ conatus facere possit. Verba celeberrimi Viri refero, quæ, si cum insulsis hodiernorum Lucumonum rumusculis, qui etiamnum Civitatem nostram personant, conferantur, me etiam tacente, patebit, eandem semper fabulam agi, personis duntaxat mutatis; atque Athenæum adeò nostrum non aliam nunc, quàm pridem ante fatorum experiri acerbiter. Vulgatum protritumque est illud: *Pietas laudatur & alget.* Verùm ô miseros nos! quibus, cum propter tenuitatem scholasticorum proventuum, nisi aliundè, ex quo vivamus, suppeteret, alendum foret, ne laudes quidem, exilia sanè tot laborum & vigiliarum præmia relinquuntur. Mirandumnè, si quod aliis antehac ex nostro Collegio haud paucis obtigit, nobis quoque usu veniat, ut muneris, quòd tantâ animi constantiâ, tantâ fide obimus, tædium aliquando & nausea obrepat? Atat ne Deus hoc siverit! Feramus, quod mutari nequit: convitia, quæ ab insanientibus more majorum effutiuntur, nos more majorum magno animo contemnamus: illius nos committamus arbitrio, qui, quàm iniquè nobiscum agatur, & novit, & expendit. Ille causam discutiet: ille innocentia opitulabitur, ille cuique nostrum, qui operi ipsius, eâ, quâ par est industriâ & solertiâ incumbimus, quod

Abra-

Abrahamus quondam audivit, quasi in aurem dicit:
 (q) *Noli timere: Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.*

Interea spectate Juvenes: Nam in ea tempora nati estis, quibus firmare animum expedit constantiæ exemplis. Ita vos, Athenæi Cives, animo meo longè charissimi, iisdem, quibus iniquâ Neronis sententiâ damnatus Seneca, ad amicum usus est, alloquor. (r) Videtis in conspectu vestro, atque mox etiam ex cathedrâ audietis novum Professore, auspiciatò vobis datum, in Jure & Historiâ studiorum Ducem: Grato animo beneficium Dei OPT. MAX. ac Magnificorum Patronorum agnoscite: occasionem discendi, quam fronte capillatam, occipitio autem calvo, Poëtæ finxerunt, dum licet, arripite, pressisque manibus tene: non in literis solùm, sed in pietate etiam, honestisque moribus, vos profecisse, ansâ undecunque arreptâ ostendite: in succum, quod ajunt, & sanguinem convertite saluberrimum monitum Isidori Pelusiota: *Discipuli Magistrum ut Patrem amare & ut Principem timere debent: ac neque metum abjicere ob amorem, neque benevolentiam obstruere propter metum.*

Tu verò, benignissime Deus, Pater Domini nostri

E

stri

(q) Gen. XV. 1. (r) Annal. L. 16. c. 35.

stri Jesu Christi serva Gedanum, veræ Ecclesiæ hospiti-
 tium: Consiliis publicis, quæ pro salute Civitatis capi-
 untur, gratiam tuam imperti: Benedic studiis Do-
 centium & Discipulorum in Athenæo. Da pacem in
 diebus nostris, ut sub Rege AUGUSTO in *sublimi-
 tate à Te constituto, quietam & tranquillam vitam aga-
 mus, in omni pietate & honestate.* (t) Tibi cum Filio
 coæterno & Spiritu S. sit laus honor & gloria,
 in secula seculorum Amen.



PROGRAMMA INVITATORIUM.

Q. F.

Q. F. F. S.

PROPITIO NUMINE,

JUSSU

MAGNIFICI ATQVE AMPLISSIMI

SENATUS GEDANENSIS,

CUM VIRO

NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO ET CONSULTISSIMO

DN. JOH. GODOFRE-
DO à DIESSELDORF

GEDANENSI,

J. U. D. CÆSAREIPALATII COMITI, ATQUE IN ACA-
DEMIA LIPSIENSI ANTEA CONGILII PERPETUI ASSESSORI,
NUNC IN PATRIA

JURIUM ET HISTORIARUM PROFESSIO PUBL. ET ORDINARIA,
ATQUE ATHENÆI INSPECTIO,

SOLENNI RITU COMMITTERETUR: AD INAUGURATIONIS ACTUM

A. C. 1796 XCVII. D. XII. DECEMBRIS

CELEBRANDUM,

PATRONOS, FAUTORES, CULTORES
ET ÆSTIMATORES,

SUBMISSE, REVERENTER, OFFICIOSE ET PERAMANTER
INVITAT;

STUDIOSUM VERO COETUM
PATERNE CONVOCAT,

ATHENÆI RECTOR,

SAMUEL SCHELGUIGIUS,

S. Theol. D. & Prof. Publ. itemque Ecclesiæ ad

S.S. Trinit. Pastor,



Quod Thucydides quondam censuit, *imperitiam cum modestiâ conjunctam, Reip. utiliore esse peritiâ, quæ comitem habet immodestiam*: ejus asserti veritatem, cum in aliis, tum vel maximè in JCtis, experientia dudum comprobavit. Non equidem ignotum nobis est illud Isidori Pelusiotaë (L 2. Epist. 232): *Qui, cum nullum in se bonum agnoscit, verborum modestiâ utitur, ignoscens, vel agnoscens potius, ac non modestus est: At qui post virtutes submissè de se sentit, is demum propriè est, qui modestum se præbere novit.* Hinc nec JCtum appellare eum multòque minùs à modestiâ commendare audemus, qui nullâ omninò juris peritiâ gaudet. Enimverò usitatisimum in communi sermone est, quando duo inter se contenduntur, imperitiam adscribere illi, qui minùs reperitur peritus: atque ita nostro etiam qualicumque calculo, magis Reip. JCtus sine magnâ peritiâ, quàm sine omni modestiâ conducit. Cæterùm tantò magis modestiæ defectus nocet, quantò præsentia aut cura ejus rei utilior foret, quæ per JCti immodestiam evertitur, aut saltem sufflaminatur. Exemplum nobis luculentum exhibet Hugo Grotius, non in Jurisprudentiâ solùm, sed in quocumque etiam alio scientiarum genere major, quàm in modestiâ. Accusatur ille à Rebhanio Argentoratensium Antecessore (Præfat. ad Instit.) quòd *Juris Justiniani iniquior censor passim extiterit.* Sed ab hac immodestiâ, Virum celeberrimum alii fortasse absol-

sol-

solvent. Reus utique istius criminis suo merito pergeretur, si Lectores, Auditoresve suos à Legum Romanarum studio avocasset; si Corpus, quod appellant, Juris, aut partem ejus, Institutiones, Pandectas, Codicem, Novellas convitio proscidisset; si Tribonianum, Theophilum, Dorotheum, Isidorum, Thallelaeum, Cratinum & reliquos operis laudatissimi Conditores, profungis aut stipitibus habuisset; si Prætores, Senatum, imò sacratissimos Imperatores, à quibus pretiosa isthæc analecta ad nos pervenerunt, recoctis fabularum pridem explosarum commentis, stigmatè quasi inusto, notâisset; si eorum, qui dubio de controversiâ aliquâ suborto, Consulentes, Respondentes, Decidentes evolvunt sudorem risisset & exagitâisset. Ita facere solent, qui, nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum putant: quo ægerrimarum mentium morbo, tantum abest, ut correptus fuerit Grotius, ut potius nimii in leges Justinianæ amoris (verè an secus non definimus) arguatur, quòd nimirum sæpiùs *decipi se à Jureconsultis Romanis passus sit, ut juris naturalis dixerit, quæ isti pro tali habuerint.* (D. J. E. ap. Magir. in Eponymolog. Critic.) Atat hoc illud est, hinc tot justissimæ de immodestiâ Grotii querelæ, tot detestationes, quòd suo non contentus, insatiabilem manum Theologiæ, ut novus Dictator, immitteret; prorsus immemor ejus, quod prudenter quondam monuit Siracides (c. III. 22. seq.) *Quæ tibi injuncta sunt, illa cogites*
 E 3 *semper*

semper, & in aliis ne fueris curiosus. Natus inter Reformatos præceptisque Religionis in patriâ prædominantis à tenerâ ætate imbutus, postea animum novaturientem ad Remonstrantes eo conatu applicuit, ut in sententiâ contra ipsum, anno M DC. XIX. 18. Maji latâ, inter alias causas, ex eo damnaretur, quòd *statum religionis turbare, Ecclesiamque Dei ingenti tristitiâ atque angore afficere, veritus non fuerit: quòd asseruerit, ac multis etiam persuaserit, competere singulis seorsum provinciis in religionem summum jus atq; potestatem, nihil uti ad provincias socias ejus rei cura pertineat; quòd assensu suffragioq; suo & quibusdam scriptis fecerit, ut multæ opiniones novæ formulisque initæ concordia repugnantes, & nunquam antea in Reformatâ Ecclesiâ approbatæ, adversus solennem sacrorum ritum, inveherentur; quòd jactâverit, Synodos Ministrorum Ecclesiæ supremæ ordinum jurisdictioni aliquid præjudicati adferre; in causâ Synodi, neque suffragiis neq; numero suffragiorum agendum esse; fore id adversus majestatem, libertatemque & jura Hollandiæ, si ejus provinciæ ordinibus aut majori eorû parti, sine plenâ eorum assensione, obtruderetur nationalis Synodus: quòd in nationali Synodo ea remedia, quæ componendis in religione controversiis necessaria erant, impediverit, &c.* Hæc ex decretoriâ sententiâ, decerpimus quâ Grotius perpetuis vinculis destinabatur. Fide autem & bono, ut opinamur, dolo uxoris ex carcere liberatus, atque in Galliâ delatus, cum coelo simul animum muta-

mutabat, Pontificiisque scenæ suæ inserviens, palpum obtrudebat. Sed nec ab Augustanâ Confessione, ex reverentiâ in Christinam Sveciæ Reginam, postquam ei servire coepisset, abhortuisse, ex Animadversione ad Consultationem Cassandri constat. De Socinianis non est quod dicamus; cum quanta inter hos & Grotium intercesserit familiaritas, Ruari Epistolæ, ipsæque Grotii literæ ad Crellium datæ prodant. Ut paucis multa complectamur, in id videtur remis contisque enisus esse,

Unicus ut toto fidei sit vultus in orbe,

Quem liceat vocitare chaos.

Quæris autem, quâ fortunâ, quoque successu talia egerit? Non alio, quàm qui inter publica disidia neutram partem amplectentes excipere solet. Hos quidem Alphonsus Rex iis esse similes ajebat, qui cum mediam domûs contignationem inhabitent, ab inferioribus fumo, à superioribus matulâ effusâ vexantur. Non multò diversa acciderunt Grotio. Ardelionatus Viri, alioquin inter literatos summi, quem in Theologiâ exercuit, vix cuiquam, nisi in eodem luto hærenti, placuit. Detestantur eum inter nostros & Theologi & Jcti. Ex Theologis Notas in Scripturam Grotianas Calovius in Bibliis illustratis operosissimè excussit. Osiander verò Observationes. ut titulus refert, *maximam partem Theologicas*, in libros de J, B. & P. publicavit. Quid Jcti de Theologia

logiâ Grotii senserint, propriis eorum verbis detegemus. Johannes Otto Tabor, in epistolâ ad Calovium (præf. Bibl. Illustr. X. X. 2.) scribit: *Multarum rerum sata-gentes, parum ab impietate abesse censeo; quippe qui plura se præstare posse nugentur, quam officii commissi ratio ab ipsis exigit. Enimverò, cum religionis causa & communis & præcipua esse debeat, non potui sine doloris sensu coram & liquidius cognoscere, quanto opere Viri ingeniosi sane, (Grotii) existimatio evaluerit, in corrumpendis & ad Atheismum inclinandis hominum animis; non juniorum tantum, sed & veteranorum.* Et post aliquot lineas: *Multa me experimenta docuerunt, insanum gloria aucupium ad hoc usque facinus recordem impulisse.* Caspar Zieglerus in libros Grotii de J. B. & P. (Præf. X. 7. b.) *Hoc unicum optarem, veræ Religioni addictum Grotium fuisse, nec tam crebras elegantissimo operi addidisse heterodoxias; propter quas nec Pontificiis, qui anno hujus seculi XXVII. librum hunc solenni decreto suis prohibuerunt, nec aliis etiam ullis, commendare se potuit.* Samuel Pufendorf, in suo quem de J. N. & G. vulgavit Commentario, (Præf. B. 4. b) *Non exiguam nobilissimo operi (Grotiano) labem aspergunt, queis passim à receptis orthodoxæ Ecclesiæ sententiis diversus abit. Qui quidem magnorum ingeniorum infelicissimus labor mihi semper visus est, circa divina aliquid novare.* Jctis subnecto Bœclerum, qui (in præf. Comment. ad libr. de J. B. & P.) *laudat & admiratur*
Gro-

Grotium ; sed *Theologiam ejus deplorat*. Sic à nostris ille vapulat. Neque mollius habetur à Pontificiis, Paulò enim ante ex Zieglero accepimus, quo anno liber illius de J. B. & P. decreto Papæ fuerit proscriptus; quod quidem die IV. Februarii, ex *secreto consilio* Romæ emanasse autor est Franciscus Magdalenus. Quin & jam multò antè, in Indice librorum prohibitorum & expurgandorum Hispanico, qui Madriti M DC XVII. lucem aspexit, Grotius inter *autores damnatos* rejicitur, non sine exprobratione, quòd *falcem immiserit in rem Theologicam*. Præ aliis omnibus pessimam à Reformatis gratiam iniit. Nam meditationes Grotii de Antichristo Hippolitus Fronto Caracotta, qui Molinæus esse creditur, pro merito castigavit. Acerbiore calamo, ut solebat, Marius Noster excepit, inter alia de eo statuens: (Concord. Discord. Præfat.) *Poterat Theologus censeri, si nihil ad Theologiam scripsisset, memorque fuisset moniti illius Epicleti: Si quam personam, quæ vires tuas superet, indueris, tum eam indecorè geres, tum eam, quam sustinere posses, negliges*. Verissima autem & Scriptori, de cujus ludebatur corio, convenientissima videntur, quæ apud Rivetum legimus. Hic enim Grotium, quem in Bibliothecâ Theologicâ *Virum dubiæ religionis* vocat, cum Annotata ejusdem in Cassandrum, animadversionibus suis perstringeret (Præf. p. 4.) sequentibus describit: *Hugo Grotius, Vir clarissimus & inter doctos hoc tempore primi*
F
nomi-

nominis, si se continuisset intra limites, quos ei videbatur
 præfixisse vitæ genus, quod ab initio elegerat, melius for-
 tasse sibi & aliis consulisset. Sed cum vir ingenii sit tam
 ampli & capacis, ut nullis coarctari possit terminis, ubique
 jurisdictionem exercet in literaturâ omnis generis, in lingva-
 rum cognitione, in legum & juris peritiâ; ac tandem in Theo-
 logiâ dictaturam sibi voluit attribuere, qui quod in qualibet
 communione aut sectâ, quarum omnium hypotheses diligen-
 ter exquisivit, aut nunc placet, aut aliquando placuit, aut
 quod non arridet, vel asserit confidenter, vel obelo transfi-
 git. Facile passi sumus eum in cæteris dominari, in quibus
 minus est periculi & rationi humanæ plus permissum. At in
 rebus fidei & religionis, ut sedeat arbiter, omnia moveat,
 & Theologiam illam mixtam, jam diu ab utrâque parte, in
 Erasmo, Cassandro & Vicelio, rejectam & explosam, et-
 iam illo tempore, quo spes aliqua conciliationis affulgebat,
 nobis iterum obtrudat, nescio an passuri sint, qui prioribus
 illis non pepercerunt. Nos certè non solum ei ut acquiesca-
 mus, vetat conscientia, sed etiam stimulat, ut liberè profitea-
 mur, quid de hoc ejus & aliorum quorundam instituto sen-
 tiamus. &c. Tanti Grotio constitit immodestia. Si igi-
 tur Sanacharibo, qui lapideus in templo Vulcani vise-
 batur, murem exercitus ab eo in Ægyptum ducti, ut He-
 rodotus (Euterp. seu L. 3.) refert, victorem, manu tenens
 visebatur, adscriptum fuit: *In me intuens pius esto*: quid
 impedit, quo minus Theologicus Grotii abortus lecto-
 rem

rem hisce alloquatur: *In me intuens modestus esto.* Plura ad-
deremus, nisi Vir Nobilissimus, Excellentissimus & Con-
sultissimus, Dn. D. JOH. GOTHOFREDUS à DIES-
SELDORF, vocatus Jurium & Historiarum Professor
atque Athenæi Inspector, idem ferè argumentum, aut
non multum ab simile, inaugurali Oratione profequen-
dum sibi delègisset. Ille hæctenus non Lipsiæ solùm,
ubi Doctores in Jurisprudentiâ honores consecutus
est; sed priùs etiam, quàm gradum isthunc conseque-
retur, & Francofurti & Groningæ, in celeberrimis Eu-
ropæ Academiis, è superiori cathedrâ disserendo, juven-
tutem magno cum applausu docuit, plurimisque di-
sputationibus feliciter habitis, inclaruit. Cum anno
M DC XCV. Viennæ Augustissimum Inviçtissimum-
que Romanorum Imperatorem humillimo alloquio sa-
lutaret, eam sortiebatur gratiam, ut ad clementissimum
ipsius Monarchæ mandatum, inter Comites S. Palatii
cooptaretur; quam prærogativam, ab eo tempore, in
Germaniâ, non sine insigni & suo & Reip. emolumen-
to, frequenter exercuit. Qui itaque Studiosis Acade-
micis, qui tot Viris in dignitate constitutis, qui supre-
mo Christianorum in terris Principi placuit; qui pos-
set Athenæo Gedanensi, studiorum in hac civitate ma-
tri, displicere? Ecce bonum factum! Jussu Magnifici
Amplisimique Senatus, Vir laudatissimus die XII.
Decembris, primum pedem cathedræ sibi demandatæ

inferet, de *Simulato Juris studio* dicturus; postquam Rector eidem Oratiunculâ *de OTTONE I.* ex Saxonica WITECHINDI familiâ Romanorum Imperatore, & cognomine & re ipsâ MAGNO, aditum, more majorum, paraverit. Ut uterque benevolè audiatur, est quod debitâ submissione, observantiâ ac humanitate oramus. Servet Deus Athenæum nostrum: servet Remp. Gedanensem: servet inclutum Magistratum, Patronos ac Nutritios nostros: servet EUM, à quo salus Gedani, & quid Gedanum dico? salus totius Borussiae, imo salus universæ Poloniae & annexarum insitarumque provinciarum pendet, Serenissimum ac Potentissimum Regem nostrum AUGUSTUM, & numero & omine secundum; cujus auspiciato ingressui, cum Civitas nostra præparetur, nos illud Romani Poëtæ leviter immutatum, humillimè accinimus:

Phosphore redde diem, quid gaudia nostra moraris,
REGE ADVENTURO, Phosphore redde diem.
 PP. Dom. II. Advent. M DC XCVII.



ULB Halle
 002 100 908

3



1077

BIBLIOTHECA
PUNICKAV

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

D

Ora
par
GL
opt
illu
ange



OSO ATQUE

NESTO

DEN,

SIS PRÆCON-

LENSIS ADMI-

ISSIMI SENA-

IDI,
eo gratioso.

MOLTARO

ut sub Tuis prodeant
Majestatis Regia, hu-
maeq; linguæ expresfit.
ri, cum isthac à me
quæ de Ottone Magno,
de Patruo ejus AU-
em aliquando futurum
nus, dicebantur: Nisi
item grandia nervi, Et
tanto enim in Serenissi-
mum

